

CONCIO III.

RELIGIO MAGORUM PROPONITUR IN EXEMPLUM.

I. Stellam ducem secuti sunt. — II. A longe venerunt. — III. Diverterunt ad sapientes. — IV. Proprias commoditates Christo posthabuerunt. — V. Proci-dentes adoraverunt. — VI. Legem ex ore sacerdotum requisiverunt. — VII. Obtulerunt munera. — VIII. Per aliam viam reversi sunt.

THEMA.

Ecce magi. Matth. II.

Si ex quolibet nostrum quærerem utrum non vehementer arguendi et puniendi fuerint Judæorum legisperiti, Pharisei ac cæteri omnes, qui Christum apud se natum sciebant, vel saltem ex magis scire poterant, eique prope adhabitabant, nec tamen ad eum accedebant, salutabant, adorabant, etc. neminem non responsurum puto, vehementer arguendos fuisse et gravissimam meruisse pœnam. Quomodo enim non magnopere confundantur a magis, qui ab oriente venerunt ut Christum adorarent? Annon dici illis poterat, quod Matth. XII. illis dixit Dominus: *Surget regina austri et condemnabit generationem hanc in iudicio, quia a finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis, et ecce plusquam Salomon hic.* Annon dici etiam eis poterat: *Surgent magi in iudicio, etc.* ad illos enim pertinet, quod Dominus, Matth. VIII. ait: *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cælorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Sed quid dicimus nos? Annon hoc ipso verbo nos ipsos accusamus et condemnamus? Quid enim putatis? Annon et nos quotidie vicinum habemus Christum in ecclesia, in altari in sacrificio? Annon fasciis specierum panis et vini involutum? An nescimus quotidie eum immolari prope ædes nostras, et quidem pro salute nostra? Et tamen interim tam raro, tam ægre, etiam quando ex præcepto obligamur, ad illum accedimus, tam socorditer intersumus, tam cito discedimus. Vereor sane, ne de nobis non minus quam de Judæis dici queat: *Surget regina austri: surgent magi in iudicio, et condemnabunt nos.* Hoc enim insinuare nobis voluisse videtur evangelista duobus illis verbis: *Ecce magi, q. d. videte quid fecerint magi isti: pudeat vos non sequi, intuemini in speculum, imitamini primitias vestras.*

I. Apparet magorum fervor, dum stellam ducem tantum secuti sunt, (non enim habuere angelum vocantem, quemadmodum pastores) secuti inquam: *Usque dum veniens staret supra ubi erat iherusalem: tunc enim videntes stellam consistere,*

ut regem desideratum ostenderet, licet in stabulo: *Gavisi sunt gaudio magno valde.* Ecce magi: quid nos? Habemus certe infallibilem stellam ducem Ecclesiam, quæ suis præceptis et Conciliis nos ad Christum dirigit, et minus errare potest aut seducere quam stella illa: siquidem stella ab angelo dirigebatur, Ecclesia vero a Spiritu s. dirigitur. Ita igitur nobis præcipit inter alia missam diebus festivis audiendam; cujus ductum si sequamur, certo ad Christum pervenimus: si minus, certo certius deviamus, quia ipse dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ac licet illa nos interdum ducat ad ea quæ aspera videntur, ne turbemur, ne murmuremus, sed potius gaudeamus cum magis, quia ipsa novit ubi Christus et animæ nostræ salus sit. Potuissent etiam magi turbari vel offendi et tristari, quando viderunt stellam stare supra stabulum, vel ad speluncam, locum abjectissimum, ducere; inde tamen non modo non turbati, sed potius gavisi sunt gaudio magno valde. Itaque ne turberis vel te opponas, quod Ecclesia te ad missam vocet, et præcepto suo trahat, tamen si forte locus et sacrificium ipsum, quia peregrina lingua peragitur, tibi displicet; quia quæ Ecclesia facit, Dei ductu facit; et si d. c. pr. credimus: *Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Quid? Omnes nationes diis suis offerebant certa sacrificia, aliæ hostias animalium, aliæ herbas, thus, aromata, crocum, etc. nos soli Deo vero nihil offeremus? Et cum possimus offerre quod nihili nobis constat, necdum offeremus? Num malum offerre boves, aurum, thus, et myrrham? Inexcusabilis est qui Christianorum sacrificium offerre detrectat.

II. A longe venerunt, ab orientalibus regionibus, et tamen intra tredecim dies advenerunt, unde noctibus etiam non diebus tantum iter fecisse credibile est, insuper valde festinasse, ac visa stella quamprimum ad iter se accinxisse. S. Hieronymus asserit dromedarios accepisse, jumenta veloci gressu, et inedia ac sitis patientissima, quo altius iter conficerent. In Bethlehem vero tamdiu morati sunt, donec a Domino dimitterentur, responso accepto in somnis: unde saltem ibi pernoctasse certum est. Ecce magi primitiæ nostræ. Quid nos successores christiani? Pudet dicere: *Tametsi enim monitricem audiamus campanam, imo Ecclesiæ præceptum, et voces prædicatorum, ac licet proximi simus ecclesiæ, accedimus ad ecclesiam, ad medium missæ, ad concionem; atque ita et alios turbamus, et præcepto sæpe non satisfacimus, et præterea palam facimus nos ægre et cum tædio accedere,*

Quis enim ita tarde venire cernitur ad nuptialem pompam, vel convivium? Omnes ibi in dromedariis veniunt; nemo serius, quia libenter. Non fuit ita apud Christianos veteres, sed illis prius in ecclesia congregatis, postea primum intrabat episcopus vel pastor, ut testatur de suis Sanctus Chrysostomus, homil. XXXIII. in cap. IX. Matth. At si hoc nunc observandum esset, nunquam ingredi possemus nos, qui inchoare officia debemus nullo pene adhuc præsentate. Quod si ad finem saltem persisterent ejusmodi tardigradi boves, aliquid hoc esset; sed quam multi sunt, qui responsum angeli, id est, sacerdotis dimittentis plebem, (canendo: *Ita missa est, q. d. ite plebs dimissa est:*) non expectant, sed facta elevatione mox aufugiunt, quasi lupum vidissent. Annon tales jubentur publice confundi, de consecr. d. I. c. Missas; item Excommunicari, cap. Sacerdote, ibid. Non discedebant a suis sacrificiis ethnicis nisi absolutis et publica præconis voce dimitterentur. Annon igitur dedecus, vinci ab ethnicis in divino cultu? Nisi responsum secundum expectassent magi, ad Herodem divertissent, et grave periculum incurrissent. Idem timere possunt qui missæ finem non expectant.

III. Diverterunt Jerosolymam ad sapientes ut investigarent, ubi Christus nasceretur; licet suo præsentis periculo. Quomodo enim libenter audiret Herodes adesse in regno ejus, quod ipse per tyrannidem invaserat interfecto Hyrcano, regem alienum, et regem natum se majorem? Quomodo non impendebat mortis periculum iis, qui alienum regem coram Herode vel nominarent? Perrexere tamen intrepidi et posthabita vita sua, martyrum instar, Christum liberrime confessi sunt, et inquisierunt ac præterea se illi devotos proclamaverunt, dum dicebant: *Venimus cum muneribus adorare eum.* Designata est hæc eorum fortitudo in tribus illis ducibus Davidici exercitus, qui petenti aquam regis de cisterna, quæ est in Bethlehem, irruerunt per media castra Philistinorum et attulerunt regi aquam, quam tamen David bibere renuens effudit, quod sanguinis periculo constitisset, I. Reg. XXIII. Ecce magi, hi enim irruerunt per Christi hostes ad Christum, et attulerunt nobis aquam cognitionis Christi, et fidei non dubitantes pro eo mori. Quid nos? Non est quod multum interrogemus, ubi Christus inveniat. Ecce hic est Christus, in templo, in altari, in Bethlehem, id est, domo panis, candidissimis fasciis specierum panis et vini involutus, in sacris concionibus similiter monstratus a sacerdotibus. Nec est quod periculum aliquid subeamus, si huc accedamus; est vero, si non accedamus. Et interim tamen cogi, et calcaribus

huc agi, uti jumenta debemus, quemadmodum ad ergastulum inertes pueri, ad compedes damnati. Quid hoc ad magorum exemplum? Quid ad antiquorum Christianorum fervorem? Illi ut sacram audiri missam et concionem possent, speluncas intrabant, carceres penetrabant, mori potius se paratos dicebant, et offerebant, pro consiliis, quam eo beneficio destitui, ut refert cardin. Baron. anno 253. et 303. Alii licet scirent, templi aditus a carnificibus obsideri, et ingredientibus cutem de capite abstrahi, non tamen abstinuerunt, sed martyrio se obtulerunt. Et quid nos? Ob vanissimos pretextus debito tardius vel omnino non accedimus: deinde, modicum frigus ferre non possumus, etc. Et quomodo aliquando perferetis purgatorii pœnas, vel etiam inferni? *Qui timet pruinam, inquit Job, c. VI. irruet super eum nix.* Medium quadrantem sustinere non potestis, donec missa omnino finiatur: *Et quis vestrum habitabit cum ardoribus sempiternis?* Isa. XXXIII.

IV. Propriam quietem et domesticas commoditates Christo posthabuerunt reges isti, et tam remotum asperumque iter susceperunt, nullius, temporalis lucri gratia, sed potius maximis suis in pensis: qua in re egregios se mundi contemptores exhibuerunt, et veros Dei sectatores, nimirum instar illius columbæ, Gen. VIII. ad Christi Ecclesiam, velut arcam Noe, advolarunt, nolentes persistere super cadaver terrenorum honorum, quemadmodum fecit corvus, videlicet Herodes et Scribæ. Ecce magi. Quid nos? Propter levissimam et non necessariam negotiationem a divinis abstrahimur et retinemur: pro exiguo lucro margaritam pretiosam dimittimus. O infelix negotiator! Annon tu ille es, qui invitatus ad nuptias filii regis, contemptis nuptiis, abis ad negotiationem tuam, Matth. XXII. Annon hodie nuptiæ omnium nostrum cum Christo? Audi Ecclesiam hodie canentem: *Hodie cælesti sponso juncta est Ecclesia; dum videlicet primitiæ gentium Christo per fidem desponsatæ sunt.* Currunt cum muneribus magi ad regales nuptias; sed etiam quævis missa nuptias Christi cum Ecclesia representat. Et tu hodie dormitas, vel alio divertis, et cadaveri adhaeres uti corvus? Quid quæso dixit rex de talibus invitatis, non venientibus? *Nuptiæ quidem paratæ sunt, non fuerunt digni.* Venerab. Beda in hist. Angl. narrat fabrum quemdam sibi notum, cum audire missam deberet, se inebriare solitum, qui tandem infirmatus dixit in agone: *Sicut Stephanus vidit cælos apertos, ita et nunc video infernum mihi apertum, et in medio Judæ, Caiphæ, Pilati et crucifixorum Christi locum mihi paratum: sicque obiit.*

V. Proccidentes adoraverunt Christum, adhuc puerulum, pauperem, abjectum. Et quale hoc spectaculum; videte reges magno comitatu stipatos intrare stabulum? Procidere ante pauperulum, quem nulla adhuc viderant mira patrantem, nec cœlestia loquentem, nondum viderant resurrexisse a morte, ascendisse ad cœlum, misisse Spiritum sanctum, vicisse et convertisse mundum, quæ omnia nos sancta scimus, etc. Ecce magi. Quid nos? Scimus nos quanta fecerit Christus, habemus innumera argumenta deitatis ejus, quæ nondum habuere reges illi: et interim o quam irreligiosi sæpe apparemus in templo et extra, cum sacram eucharistiam gestari videmus? Annon condemnant nos reges illi? Magni illi in terris suis erant, ast ubi coram Christo erant, nihil se reputabant, ideo se ad terras abjecerunt, quomodo rusticus aliquis in pago suo primarius, ubi in aulam principis venit nihil se esse cernit. Quod si reges isti nihil se esse agnoverunt coram Christo, quis tu quæso coram eodem, qui nec regulus quidem es in terra? S. Chrysostomus sæpe vidit sanctos angelos sub missa assistentes magna cum reverentia, ut refert S. Nilus de eo. Quin et oviculæ S. Coletæ et S. Francisci, missæ cum summa modestia et adstant, et ad elevationem sacræ hostiæ in genua provolvebantur, post iterum erigebantur, Sur. in vita.

Audi S. Chrysost. in c. X. ep. ad Cor. hom. XXIV. hac de re loquentem: « Hoc corpus etiam jacens in præsepio, inquit, reveriti sunt magi et viri impii et barbari, patria et domo relicta, et longam viam confecerunt, et cum venissent cum multo metu et tremore adoraverunt. Imitemur ergo vel barbaros, nos cœlorum cives. Nam illi quidem cum in præsepio vidissent et in tuguric, neque tale quippiam vidissent, quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepio vides, sed in altari, non feminam cum tenentem, sed sacerdotem astantem, et Spiritum cum magna copia ea quæ sunt proposita supervolantem. » Hæc Chrysost.

VI. *Legem ex sacerdotum ore requisierunt*, juxta id Malach. II. nec attenderunt ad exemplum illorum. Bene et vere consulebant sacerdotes magi, ipsi tamen Messiam non requirebant. Hoc inquam non curarunt magi; sed contenti sacerdotum responso, ad Christum constanter perrexerunt. Ita licet nos videamus non ita ambulare sacerdotes et prælatos, sicut nos ambulare docent et jubent, non ideo absterri a proposito virtutum stadio et studio debemus. Sufficiat nobis, quod bene nobis consulant et prædicent. Quare ut isti sacerdotes sane intelligebant et docebant

Scripturam, licet non bene viverent: ita et nostri sacerdotes ac pontifices, licet forte non semper sint, quales esse debent, bene tamen semper docebant.

VII. *Apertis thesauris suis obtulerunt Christo munera, aurum, thus et myrrham*: indecens enim putabant comparere sine munere eoque exquisito et insigni, de thesauris extracto. Ecce magi. Quid nos? Si indecens est coram Deo apparere sine munere, juxta id Exod. XXXII. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, quid erit omnino non comparere? Et certe is munera non tam corporalia, quam spiritualia requirit a nobis. Satis magnum munus ei offeremus, si nos ipsos ei in templo crebro præsentaremus, juxta id ad Rom. XII. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum*. Satis magnum munus offeremus, si thus piæ orationis, si myrrham alicujus mortificationis, patientiæ, jejunii, etc. Rursum offer Deo una cum sacerdote sacrificium altaris.

VIII. Per aliam viam reversi sunt in regionem suam, non divertendo scilicet amplius ad Herodem, sed longius ab eo recedendo: sic conversatio Christianorum alia esse debet, quam fuerit in gentilismo, uti admonet apostolus ad Ephes. IV. gravissimis verbis dicens: *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulabant in vanitate sensus sui, etc.* et post pauca: *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, etc.* Idem clarius adhuc exponit Eusebius Emisenus, hom. I. de epiph. dicens: « Nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando superbiam suspecta humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus, quando veteres voluptates et consuetudines pristinas ac desideria antiqua damnamus, etc. » Magi audito Dei responso et mandato, mox Deo potius obedire quam hominibus, plurisque verbum facere quod a Deo audiebant, quam quo se Herodi obstrinxerant, decreverunt. Pari modo et nos, quidquid mundus oggannat, quidquid forte ei promiserimus, surda aure pertranseamus, et Dei potius voluntati nos et vitam nostram conformemus.

Itaque o Christiani: *Attendite ad petram, unde excisi estis*, inquit Isa. cap. LI. (remittens Judæos ad Abraham patrem eorum et Saram matrem). Attendite vos Christiani ad primitias vestras, tres reges, quasi ad vestrum Abraham, Isaac et Jacob; ne dicatur vobis: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Thren. I. Verendum sane, ne tandem omnino perdamus Chri-

stum, qui tam frigide eum requirimus. Si enim Judæ, populus Dei electus, meruit eum perdere, quia dum præ foribus haberet, quarere non curavit, quomodo non idipsum meruimus, qui nihilo plus facimus?

CONCIO IV

MAGICÆ ARTES CUR DETESTANDÆ.

I. Quia hæ artes impie. — II. Quia deceptorie. — III. Quia periculosæ. 1. Animæ. 2. Corpori etiam. — IV. Quia Christiano indignæ.

THEMA.

Ecce magi ab oriente venerunt Jerosolymam.

Matth. II.

Consentiunt ss. patres fuisse magos istos, viros sapientes et astrologiæ peritos: sed complures insuper volunt fuisse maleficos, magicis addictos artibus; siquidem a Matthæo, infami hoc magorum notantur nomine: addunt tamen et hoc, deposuisse ad præsepe Christi diabolicas præstigiis una cum infidelitate, nec ad eas postea rediisse. Merito sane hoc: per aliam enim viam, teste evangelista, regressi sunt in regionem suam: idololatræ venerunt et magi, sed redierunt Christiani et cultores veri Dei. Nec absque Dei consilio hoc factum est: indicabat enim, ut scribit S. Ignatius, in epist. ad Ephes. mundi sapientiam perituram, magicas artes abolendas, et tenebras ignorantie pellendas esse, ex quo vera lux, Dei sapientia, mundo apparuit. Inde paulo prædicante, Act. X. *Multi ex eis, qui fuerunt curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus*. Inde S. Petrus oratione deiecit ex aere Simonem magum volare præsumentem, ut testatur Ægesippus, lib. de excid. Jerosol. Inde Paulus Elymam magum sibi resistentem verbo excæcavit, Act. XIII. Quodque magis mirum, Tiberius imperator Rom. Christo in terris degente, annum trigesimum octavum agente, decretum contra magos et astrologos judiciarios fecit, et externos quidem necavit, cives vero his artibus addictos extorres fecit; qui vero destitissent, impunitatem consequerantur, Dio. lib. LVII. Quæ res manifeste ostendit, Christum finem imponere voluisse diabolicis istis studiis, qui in orbem venerat ad conferendum zabulum. Viderint igitur quid agant, qui etiamnum non desistunt his artibus studere, vel opera talium uti, cum tamen Christiani sint; qui ut ait Job, cap. III. *Parati sunt suscitare Leviathan, quoniam Christo et christiano nomini faciant injuriam interantque ignominiam*. Certe Ecclesia præcepit episcopis et pa-

rochis, c. XXVI. q. V. cap. Episcopi, ut tales ejiciant e parochiis, velut communionem fidelium indignos et diaboli mancipia. Conabimur itaque pro officio nostro astendere, quam detestandæ sint hæ artes.

I. Quia hæ artes sunt impie et fidei christianæ contrariæ, primo, quia earum sectatores maximam injuriam Deo inferunt, dum cum ejus hoste diabolo conspirant, quem auxilium suum vocant. Dicit autem lex Liberi, c. de in offic. testamento: *Inimicus meus is etiam est, qui versatur cum inimicis meis*. Quantam quæso injuriam christiano inferret nomini princeps aliquis christianus, qui contra alios Christianos pugnaturus, suppetias a Turca christiani nominis hoste peteret? Gravius Deum offendit, qui relicto eo, opem a dæmone ejusque cultoribus petit. « Si tu famulum tuum, ait S. Chrys. I. contra Judæos, orat. V. flagris cæcideris, et ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis illico provocet ad libertatem aut deserat tuum dominium, et ad alios quospiam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet: dic mihi num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tandem? Quoniam officium est heri punire talem famulum, etc. » Subdit simili modo non profugiendum in morbis et afflictionibus ad artes magicas earumque sectatores, sed potius ad sanctos. Ideo II. Par. Arguitur rex Asa quod Syriæ regis, hostis Judæorum, opem imploravit contra Baasa, et punitur. Dixit enim illi Hanani propheta: *Qui habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua*, id est, feci ut elaboretur e manu tua, quem alioquin etiam delevisses; similiter quod in ægritudine sua potius confisus sit in opere medicorum, quam in Domino, ideoque mortuus est; ibidem quanto magis peccant, qui in ope dæmonum confidunt?

Deinde, eo ipso videntur Deum facere impotentem aut immisericordem et tyrannum: dum non ab eo, sed a creatura, et ipso Dei hoste diabolo medelam quærunt, quasi Deus non posset aut non vellet ipsos juvare. Hoc exprobrat Deus regi Ochoziæ per Eliam, IV. Reg. I. Cum enim is cecidisset per cancellos cœnaculi et ægrotaret, misit ad Beelzebub deum Accaron, ad consulendum super infirmitate sua, angelus autem Domini locutus est ad Eliam: *Surge et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos: Numquid non est Deus in Israel ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quomobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*. Qui

et mortuus est juxta sermonem Domini. Et ita fit multoties justo Dei judicio ut pereant, qui relicto Deo ad praeſtigias currunt. Quemadmodum enim Valentis imp. filiolus ob parentis peccatum in S. Basilium commissum gravia infirmitate tactus, cum ad eum vocatus esset Basilius, convalescere coepit: vocatis vero deinde haereticis (quibus favebat imperator) paulo post mortuus est, ut est in ejus vita: ita saepissime evenit illis, qui magis in ope daemones, aliarumque creaturarum perperam confidunt quam in Deo.

Denique, cultum Deo debitum auferunt, et daemones ac creaturis impendunt; dum vel effectus illis adscribunt, qui vires earum superant, vel variis ritibus ac quandoque rebus etiam sacratis daemones venerantur, quo eorum operam emergentur; insuper etiam cum ipso se confederant, pacto expresso vel tacito, et proprias animas ei devotent: siquidem media illa, quibus utuntur ad finem expetitur non possunt esse causa effectuum, sed signa tantum sunt, quibus ex pacto evocatur daemon ad praestandum id, quod ab ipsis praestari nequit. Quomodo ex insidiis latro aliquis per sibilum evocatur a socio ad viatorem occidendum. Nam vel cum daemone pactum expressum ineunt per se vel per alium cum illo paciscendo, ut hoc vel illud praestet, tali vel tali conditione et sic gravissime peccant, committuntque actum idololatricum, quandoque apostasiam aut haeresin. Vel implicitum, cum nimirum scientes ac volentes utuntur superstitiosis signis, quae norunt vim talem ex natura sua non habere, hoc vel illud efficiendi; vel ignorantes utuntur magicis istiusmodi signis, ignorantia tamen culpabili nec parati sunt ea relinquere moniti: et hoc modo graviter etiam peccatur, sicut qui ex raptu vivit, licet non rapuerit, furti participes fit. Nonne, si incederem vestibus Praedicantibus, licet nihil cum illis negotii habuissem, diceretis me correspondere cum Praedicantibus et Lutheranis omnino. Posuit Deus ab initio inimicitias inter hominem et diabolum, Gen. III. Reformatum et redintegratum est hoc bellum a Christo, velut a Patre patrato. Unde clamat apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, etc.* ad Eph. VI. et I. Cor. XL. *Nolo socios vos fieri daemoniorum.* Idque nova quaedam obstructione promissimus in baptismo, patrinis pro nobis spondentibus iterum atque iterum, nos abrenuntiare Satanæ et omnibus pompis ejus. Annon igitur is, qui ejusmodi pactum aliquod et familiaritatem qualemcumque cum Dei et hominum adversariis inquit, reus tam habebitur perfidia, transfugii, apostasia, quam si monachus votivam deserat

professionem, quam si miles ad hostem transfugiat, quam si Christianus ad Mahumetismum vel Judaismum se recipiat?

II. Quia haec artes sunt deceptoriae, inanes et vanissimae, uti et pacta cum daemone inita; nam hominem quidem daemone obligant et morti aeternae addicunt, non tamen vicissim daemone homini: nihil enim juris acquirit homo in daemone ex tali pacto, nihil item in signa, quibus ex condito utendum. Unde perinde est tale pactum, ac si quis uxorem sibi desponderet ea lege, ut ipsa fidem servare marito debeat; ipse vero uxori nequaquam. Promittit quidem spiritus mendax mutuam fidem et operam, sed ad hanc servandam nequaquam obligari potest ac vult, neque servat etiam, saltem ordinarie et constanter, qui irreconciliabili odio homines prosequitur, et ipsi Christo mentiri ausus est: *Haec omnia tibi dabo: et, Domino teste: Mendax est et pater mendacii,* Joan. VIII. De eodem ait Job, XL. *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?* (ex animo videlicet et fide bona.) *Numquid feriet tecum pactum et accipiet cum quasi servum sempiternum? Numquid illud ei quasi avi, aut ligabis cum ancillis tuis, etc.* Scilicet parebit homini, qui maluit carere beatitudine aeterna quam parere Deo, et Verbum hominem factum adorare. Imprimis saepissime falsa pro veris exhibet, uti nummos adulterinos et factivos pro veris. Hinc enim videbimus hoc hominum magicorum genus nunquam ditari, sed eo nihil egenius et abjectius esse; et si prius divites erant depauperari. Nimirum ita providit divina bonitas, ut ne homines, qui alioqui lucri cupidi sunt his artibus addicerent, et fidem illis adhiberent. Sic Magister sententiarum, lib. II. d. XXI. asserit, daemone in alia forma non permissum a Deo apparere et loqui Evæ, quam serpentis, ut sic ejus fraus et malitia non nimis occulta esset, sed facile pateret, et ab Eva deprehendi posset. Unde prorsus stolidi et abjecti sunt censendi, qui a delictis ejusmodi aniculis et rudissimis stolonibus consilia petunt, et opem a vilissimis et egenissimis. Quod si nummos invidet suis servis, et pro nummis testas, carbones, fimum et similia porrigit, quomodo sanitatem et meliora bona dabit? Sic etiam fictitias epulas, fimum pro pane, mures pro avibus, etc. suis exhibet.

Deinde, mendaciis ut plurimum decipiunt, uti primos nostros parentes: *Eritis sicut dii,* Gen. III. et per haec saepe innocentes in crimina vocant. Atque ut mendaciis fallant, nonnunquam vera falsis admiscunt. Cujus exemplum refert Delrius, de rustico Misnensi, l. IV. disqu. mag. c. II. q. VI. « Duo, inquit, recentiores scriptores

Germani de hac re commemorarunt, fuisse in Misni rusticum quemdam; hunc domum retulisse pecuniam vesicæ suæ inclusam et scamno imposuisse, cumque alio abivisset, sus domestica, ut vorax et multivorum est animal, in vesicam incidit, et ut videt, devoravit. Rusticus rediens, quam non inveniebat, ab uxore deponit, negat mulier vidisse se: quid agit? Adit stolidus vetulam prope degentem quam pro veteratrice habebant. Jubet muliercula virum in limine domus subsistere, nec a linea, quam creta notarat, latum abire culmum: mox ingressa cubiculum daemone sciscitatur de fure, his verbis, arcam introspeciens: Quidam N. pecuniam suam domum reversus tali amisit die, quem ais furatum? Respondit veterator, ex arca (novo suo tripode): Sus comedit domestica. Tu tamen dicito, conjugem ejus ut cum sacerdote amasio eam abliguriret, clam sustulisse. Respondet illa rustico, quod a daemone jussa, tacet de sue. Sed rusticus cuncta sciebat: nam nihil veritus anile interdium pedetentim ac leniter illam fuerat subsecutus, et ante ostium cubilis substituerat ut quid malefica moliretur, accurate per rimam observaret. Reversus domum uxori et amicis cuncta narrat; horum consilio suem maectat, crumena potitur. Defert is veneficam ut calumniatricem et daemone partiarum, magistratus portentum flammis expiavit. » Sic Cypriano mago promissit traditionem virginis Justinae; sed nec praestitit nec prestare voluit.

Denique, si vera narrat, amphibologiis tamen involunt saepe, ut ita decipiant; cujus rei plurima sunt exempla. Unum refert Holcot, in lib. Sapientiae, lect. CXC. de episcopo, qui se traderat necromantiae, per quam adeptus est episcopatum. Tandem cum haberet plurimos adversarios, et eosdem fugiens in castello se includeret, quaesivit ex cacodaemone: *Fugiamne annon? Respondit daemon amphibologicæ: Non sta secure: venient enim inimici tui suaviter et domui tuae subjicientur.* Haec verba episcopus ita intellexit: *Non, sta secure, etc.* ut dixi, sed delusus est: venerunt enim inimici ejus et castrum succenderunt. Itaque exprobrare coepit is diabolo, quod eum decepisset. Negavit daemon, et ait se ita intellexisse: *Non sta secure: Venient enim inimici tui suaviter, et domui tuae subjicientur,* quod est Chaldaeice, ignis. Sic Amilcari Carthaginiensium duci contra Agathoclem Syracusas obsidenti, haruspex quidam praedixit, postridie Syracusas cenaturum. Ille vero dum Syracusas se potiturum sperat, eruptione civium captus, eo die invitus Syracusas cenavit et diris vexatus tormentis interit, Diodor. l. XX. Neroni imp. vix triginta

annos supergresso respondit Delphicum oraculum, caveret annum trigesimum septimum, unde animo elatus, nihil non audere coepit, quasi ante id tempus mori non posset; sed interim subito a suis derelictus, et ad necem quaesitus seipsum necavit, successitque ei Galba qui annum trigesimum septimum agebat, Petrarcha ex Suetonio. Tale est id oraculum Pyrrho ab Apolline datum: *Aio te Aecida Romanos vincere posse: et id Cræso datum ab eodem Apolline: Cræsus perdit Halym transgressus maxima regna.* Haec enim sensum habent pro et contra: utrumvis eveniret, dicere poterat daemone: Hoc volebam.

Quae omnia ostendunt, quam videat daemon hominibus veritatem, et omne bonum, ut merito de illo dicere et monere unumquemque possim: *Non credas inimico tuo in æternum,* Eccl. XII.

III. Quia sunt periculosissimae, et qui eas sectantur corporis et animae grandi se periculo exponunt: uti et pacta daemone periculosa sunt et pernicioſa, animae et corporis exitium afferentia. Unde Dominus, loco dicto ait daemone *homicidam fuisse ab initio.* S. Leo, hom. XIX. de passione Domini ait, beneficia daemone cunctis esse nocentiora vulneribus; et praestare illorum odium quam pacem meruisse. Quid enim quaeso speremus boni, ab hostibus nostris infensissimis? Si quantum illi cupiunt, tantum nocere humano generi possunt, actum esset de hominibus, cito enim mortales omnes interimerent; quod quia vident sibi non licere, ideo assidue hominibus animae mortem moluntur per varias et multiplices peccandi illecebras, ne quia ipsi excidere beatitudine, homines potiantur. Odii eorum magnitudo colligi potest ex vehementia et acerbitate cruciatuum et vexationum, quas intulere, quotiescumque Deus permisit, S. Jobo, Sarae maritis, S. Antonio, etc. S. Chrysost. l. contra Judæos, orat. V. ait: « Christus permisit illos irruere in illum gregem porcorum, ut intelligeres quod eadem facturi fuerint hominibus, statimque perfecissent si Deus illis permisissent adversus eos propria potentia ac voluntate uti. » Itaque imprimis mortem animae incurrit, qui remedium corporale a daemone petit vel accipit. Et quid hoc est aliud quam leve aliquod vulnus lethali alio velle sanare? Annon consultius est Deo propitio emori quam Deo irato sanari? *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* ait Dominus. Audi Chrysostomum dicto loco: *Satius est, inquit, hoc pacto mori, quam deserere pietatem.* Ibidem etiam proximos post ss. martyres statutos ait in illo die, qui aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate seu magicis